



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

non teneri, sive solus ipse noverit, sive cum aliis, quia tres vel quatuor testes non faciunt famam publicam contra Reum: evidentiā autem criminis etiam notorii non supplet locum accusatoris, quando non etiam Reus est notorius ac per consequens Judici jus non tribuitur inquirendi contra Reum in particulari qui occultus est: & probant ultra doctrinam suam, quia si casu Judex interrogasset in specie Titium de Cajo an illud crimen commiserit, Titius non posset jure Cajum detegere, ergo etiam si Judex generaliter inquirat, quis crimen commiserit, Titius non tenetur Reum detegere: ita secunda sententia. **S E D** profectō nobis probabilius videtur, Titium obligari ad detegendum reum, sive ipse solus ipsum noverit, sive cum alio, aut aliis ob rationes supra allatas pro affirmativa sententia, & reus sibi imputet, siquidem delictum notorium perpetravit vidente uno aut pluribus.

12. **S E D** licet Judex ex sola criminis evidentiā procedere posset ad inquisitionem generalem, quando tamen inquisitione

tio est specialis contra certam personam tendens ad punitionem, jure positivo exigitur, ut præcedat publica infamia, ut supra diximus. *n. 2. & seq.* & communiter docent Canonistæ *in cap. qualiter. & quando cap. inquisitionis de accus.* & confirmatur exemplo villici Evangelici *Luc 16.* qui prius diffamatus est, antequam audiret à Domino redde rationem villicationis tuæ. Ratio, quia quousq; possidet aliquis bonum nomen, non potest eo sine causa spoliari. Atqui spoliaretur aliquo modo bono nomine is, de quo specialiter Judex inquireret infamiâ non præcedente, ergo. **OPPONI** doctrinæ huic posset praxis secularium qui ex sola subindè suspitione, aut simplici delatione alicuius specialem inquisitionem instituunt: sed ut videre est apud *Less. cap. 29. dub. 15.* id obtinet solum in criminibus exceptis, aut bono publico valdè noxiis juxta dicta *n. 6. ver. addo tertium. & num: 9. v. cum reus confessus est crimen occultum in judicio,* aut certè quando inquisitio fit ad avertendum malum, ut quando inquiritur ad contrahendum matrimonium; aut quando auctor est talis conditio-

ditio-

ditionis, ut nisi sine prævia infamia auctor inquiratur, facile possit malum serpere: in specie I C. casum ponit, in casu inquisitionis contra servos, in morte Domini qui reperitur occisus, & ignoratur auctor *L. 1. ff. ad S. C. Syllan:* & quando contra nautas navis submersæ, *L. quoties C. naufragis.* quia de his est suspicio. De crimine læsæ Majestatis textus est clarus in *Extravagant: Friderici Imperatoris ad reprimendum.* qui habetur post librum Feud.

13. Cæterum suppositâ criminis notiâ variis modis aperitur via Judici ad inquisitionem specialem cōtra certam personam, teste *Less: dub. 16. & alijs.* 1. cū auctor est notorius; dicitur autem notorius, si probetur saltem per duos testes ex *Gl: in Can. Omnipotens 1. q. 1.* 2. si sint judicia judicialiter probata. Hæc enim sunt pro infamia, cū pariant aliquam juris notoreitatem ex *Navar: hic. n. 78.* 3. quando est semiplena probatio, ut cū crimen est notorium, & de auctore testatur unus omni exceptione major: ex *Less: num: 146.* 4. si officialis, aut alius denuntiet judicialiter, id est, in judicio, significando testes
vel